NAENIA

IN MORTEM SPLENDIDISSIMI EQVITIS HENRICI DVDDELEGI SOMARIGANI, INSVLANI, VEROVICANI.

Ioanne Lelando Antiquario
Autore.

EXCVDEBAT LONDINI IOANNES MAYLER.

Anno Dñi. 1549.

DVddelègus erat claris natalibus ortus,
Vero, que, uicanæ ſplendida gemma domus.
Phoſphorus ille nitens. Iuuenem natura uenuſtum
Et niue, purpureis pinxerat atque roſis.
Corporis egregiè proceri munere felix,
Caſtor et Hiſpano conſpiciendus equo.
Parua loquor. Virtus animi maiora perennis
Poſtulat, et nullo quæ moritura die.
Excoluit doctas intento pectore Muſas,
Sæpe Caballino flumine labra rigans.
Ingenio certè nullus felicior acri.
Ad cumulum accedit quodq; modeſtus erat.
Lætus euangelium Chriſti complexus in ulnis
Exhibuit ueræ relligionis opus.
Bis duo luſtra quidem uix dum compleuerat ille
Cum peteret Morinos martia tela ferens.

Tempore quo ceſſit perfracta Bononia regi
Henrico, et collum ſubdidit acta iugo.
Hinc ubi tutorem deuictæ ſenſerat urbis
Eſſe patrem, reputans omnia tuta, ſuum:
Inuida profluuio iuuenem Rhamnuſia ſoluit,
Vnde repentinæ cauſa ſecuta necis
Squallida tam magnam miſerata Bononia cladem
Triſtia defoſſâ funera clauſit humo.
At Pietas mentem uel ad aſtra hinc tranſtulit almam,
Vertice ſublimem conſtituitq; poli.
Carmine ſi poſſunt quicquam preſtare Camœnæ,
Illius in terris nobile nomen erit.

FINIS.